

considerandæ sunt, et si materia non fuerit nimis odiosa, in favorem potius est inclinandum; ut, in exemplo illo de privilegio anticipandi Horarum recitationem propter muneris occupationem, dubium esse potest an actualis necessitas occupationis, vel munus ipsum trahens regulariter talem occupationem, dederit causam privilegio; et in tali dubio, hoc posteriori modo interpretandum est, ita ut non oporteat singulis diebus attendere ad actualem necessitatem, ut licitus sit privilegii usus, et sic de aliis.

19. *Ad aliam partem respondetur.*—*Privilegium non in omnibus æquiparandum actuali dispensationi.*—Ad id autem quod additur de æquivocatione commissa in declaratione de duplici cessatione causæ, negative vel contrarie, negamus assumptum; ita enim illa distinctione utimur, sicut illa communiter utuntur auctores, ut supra ostensum est tractando similem quæstionem de cessatione legis, cessante causa. Sensus ergo est, talem requiri mutationem in causa, quæ reddat iniquum privilegium ex parte actus ad quem datum est, et consequenter esse necessarium ut actus fiat malus, non tantum consequenter ex cessatione privilegii, sed aliunde, ita ut propter illius malitiam, seu novam moralem conditionem, privilegium factum sit pravum, vel nocivum: et in hoc sensu procedunt omnia quæ diximus cum rationibus factis. Nec contra illum procedit exemplum de dispensatione in jejuniis, quia non in omnibus dispensationibus id locum habet, sed solum ubi materia vel causa id postulat, ut dixi, et patet a contrario in exemplo de dispensatione in voto. Imo in illo et in similibus de dispensatione in irregularitate, illegitimatione, etc., non solum hoc invenitur, ut non cesset, cessante causa, verum etiam nec retractari possit a dispensante, quia dispensatio abstulit impedimentum, vel obligationem, quæ a solo dispensante iterum fieri non potest, propter solam negationem causæ; talis enim est obligatio voti, vel tale impedimentum est irregularitas, etc.; unde etiam responderi potest non in omnibus æquiparandum esse privilegium cum actuali dispensatione, quæ non est proprie privilegium, ut supra dixi, quia privilegium est per modum cujusdam juris et potentia; dispensatio autem per modum actionis, quæ non censetur fieri tota simul, quando effectus est successivus, et causa dispensationis est etiam successiva, quæ non proportionatur actioni, nisi quatenus cum illa

extenditur et durat, extra hunc vero casum et similes durare potest effectus dispensationis plus quam ejus causa, et idem contingit regulariter in privilegio, ut dixi.

20. *Ad instantiam respondetur.*—*Lex quomodo sit prava.*—Denique ad instantiam sumptam ex æquiparatione legis cum privilegio, dico posse sustineri æquiparationem, si privilegium consideretur sub ratione legis obligantis; secus vero esse si spectetur in ratione privilegii concedentis favorem: nam sub ea ratione non est propria lex, et ideo non oportet, proportionem in omnibus servare ad legem, et præsertim in eo quod in argumento intenditur. Declaratur, quia lex inducit obligationem, non autem privilegium per se, et ut favorem præbet tali personæ. Unde fit ut lex communis, cessante negative et in universali fine ejus, cesset, quia facta est inutilis communitati, et consequenter desinit esse lex, quia amittit proprietatem quæ est de essentia legis; unde recte etiam dici potest eo ipso fieri pravam in ratione legis, quia imponere onus inutile communitati iniquum esset; ac denique sub ea ratione non male dici posset talis cessatio causæ non tantum negativa, sed etiam contraria legi, quia tollit justitiam ejus, sicut in actu indifferente ex objecto, et bono ex fine honesto, cessatio vel carentia talis finis dici potest contraria tali actui sub ratione meriti aut virtutis. At privilegium de se non est onus, sed favor privilegiarii, et licet ratio concedentis cesset seu transeat, non statim fit inutile privilegium ei cui concessum est, nec etiam onerosum, et ideo ex hac parte non procedit in illo dicta ratio, ut cessare debeat: et consequenter etiam, ut habet rationem legis respectu aliorum, cessat utilitas ejus, nec proprie tunc cessat finis ejus sub ratione legis, quia necesse est ut, durante favore privilegiarii et utilitate ejus, duret in aliis obligatio non violandi jus ejus. Quod si contingat non solum cessare finem privilegii, sed etiam ipsum fieri omnino inutilem, tunc probabile est amitti privilegium, tam in ratione legis quam in ratione privilegii, et quoad hoc servari aliquam proportionem inter legem communem et privilegium, etiam ut privilegium est; semper tamen est diversitas in modo et ratione; nam lex facta inutilis fit nulla, et facto et jure, quia fit injusta: privilegium autem inutile fit nullum, non quia fit injustum, sed quia vel fit moraliter impossibilis usus ejus, vel non appetibilis; et ita est nullum facto ipso potius quam

jure. Item hæc nullitas non provenit in tali privilegio ex solo defectu causæ finalis, sed ex defectu materiæ, quæ ex aliis causis vel circumstantiis facta est inutilis; nam sola cessatio finis concedentis, ad tantam mutationem non sufficeret, regulariter loquendo, ut dixi.

21. *Privilegium cessat, cessante causa finali dupliciter.*—*Dicta in hoc puncto de cessatione ipso facto sunt intelligenda.*—Ex quibus omnibus adverti potest, quarto, dupliciter posse intelligi cessare privilegium, cessante causa finali, scilicet, ipso facto, vel media actione hominis, quod multum interest. Nam priori modo privilegium fit statim nullum, posteriori autem modo fit tantum retractabile, quod longe diversum est, ut constat ex supra dictis de irratione legum, quæ hic cum proportionem locum habent. Igitur omnia quæ in hoc puncto diximus intelligenda sunt de amissione ipso facto; nam hæc est propria cessatio privilegii, seu desinitio ab intrinseco, de qua nunc tractamus. Unde in eodem sensu dictum est, cessante causa negative tantum, non statim cessare, id est, annullari, et irritum fieri ipso facto privilegium, et hoc etiam suadent rationes factæ. Cum hoc tamen stat, ut privilegium fiat irritabile per cessationem tantum negativam causæ, quia ex illa sumi potest justa ratio propter quam privilegium revocetur. Et de hac irratione loquuntur multa jura allegata; et declarat Dec. in l. *In ambiguis*, 85, § *Non est novum*, ff. de Reg. juris, num. 4. Favent etiam huic doctrinæ omnes qui dicunt, post acquisitum jus perfecte et consummate, non cessare gratiam vel favorem principis etiamsi causa cesset, ut tradunt Panorm. in c. *Post translationem*, de Renunt., n. 17; Tiraq. et Menoch., supra, cum aliis quos referunt; et Gutier., l. 1 Canoniar. quæst., cap. 15, n. 22, qui loquuntur de dispensatione; est autem idem de privilegio, per quod jam est jus acquisitum; nisi enim revocetur, non amittitur, propter cessationem solam causæ, nisi talis sit quæ usum ejus reddat illicitum.

22. *Cessatio causæ etiam contraria debet esse perpetua.*—Quinto, adverto, ut privilegium extinguatur dicto modo, necessarium esse ut cessatio causæ etiam contraria sit perpetua; nam si solum sit ad tempus, non extinguetur privilegium, sed solum suspendetur ejus effectus. Ratio est, quia tunc usus privilegii non fit simpliciter et perpetuo pravus, sed ad tempus; ergo nec privilegium in

se fit simpliciter iniquum, cum pro alio tempore possit habere honestum usum; ergo nec simpliciter irritatur, sed ad summum pro tunc suspenditur. Confirmatur, quia privilegium, verbi gratia, immunitatis ab oneribus, vel muneribus, seu contributionibus, tempore necessitatis non valet, nec justus erit illius usus; cum necessitas careat lege; nedum privilegium; et tamen non propterea extinguitur, licet pro eo tempore usus ejus suspendatur, ut supra libro quinto late diximus: ergo similiter, etc. Item indultum pontificium ad dispensandum, deficiente causa ante illius executionem, suspenditur, ne liceat usus ejus; non tamen ita extinguitur quin, redeunte causa, tempore habili valeat, et licitus sit usus ejus, ut recte tradit Sancius, libro octavo, disput. 30, n. 16; ergo similiter, etc. Denique lex cujus obligatio cessat, cessante causa, non statim extinguitur, sed suspenditur: nam, redeunte causa, iterum obligat, ut late Mencha., l. 1 Controvers. illustr., c. 46, n. 3, et lib. 1 de Success., in Præfat., a n. 67; ergo, etc.

23. *Mutationes aliquæ, ex parte materiæ, ex dictis declarantur.*—Sexto et ultimo, in hoc puncto adverto, quod supra dixi, in hoc et præcedenti modo amittendi privilegium includi desitiones vel mutationes quæ in privilegio resultare possunt ex mutatione materiæ circa quam versantur: nulla enim materiæ mutatio extinguit privilegium ipso facto, nisi quæ usum ejus reddit vel iniquum, vel inutilem, vel de quo aliunde constare possit, non cecidisse sub intentionem legislatoris. Quoties autem per mutationem materiæ usus fit iniquus, vel inutilis, cessat finis privilegii maxime intrinsecus, qui esse debet usus aliquis utilis, et honestus. Si autem, extra hos casus, contigerit usum privilegii esse contra vel extra intentionem concedentis (quod raro accidit, ut dixi), tunc necesse est ut id proveniat ex aliqua limitatione addita in forma privilegii, vel de qua sufficienter constet ex tenore ejus; et tunc cessatio illa pertinebit ad defectum formæ, ut ex dictis de primo puncto constat; et ita solum superest dicendum de defectu ex parte efficientis.

## CAPUT XXXI.

UTRUM PRIVILEGIUM EXPIRET PER MORTEM SOLAM CONCEDENTIS.

1. *Tertius modus amissionis privilegii ex morte concedentis.*—*Privilegium rite compara-*



*tum non cessat per mortem concedentis.* — Hic est tertius modus amissionis privilegii, qui cogitari potest, de quo dubitatur an verus sit. In quo generalem regulam constituo, privilegium non amitti propter mortem concedentis, nisi concessio illius in sua forma illam limitationem contineat. Atque ita pro generali regula et sine exceptione haberi potest, privilegium semel rite comparatum non cessare vel amitti per mortem concedentis per se, et ut spectat ad defectum et carentiam causæ efficientis. Hæc assertio communis est, et sequitur ex regula juris, quia gratia semel obtenta non cessat per mortem concedentis, juxta c. *Si super gratia*, de Offic. delegat., in 6, et c. *Is cui nulla*, de Præb., in 6: ex quibus iuribus illam regulam colligunt Gloss. ibi, Archid. et Anchar.; item Dec., in c. *Relatum*, de Offic. delegat., n. 3; Rebuff., in pract., 2 p., tit. de *Grati.*, § *Ratione congruit*, per totum; Molin., lib. 2 de Primogen., cap. 7, n. 63; Anton. Gabr., lib. 6, titulo de Præbend., conclus. 4; Summistæ, verb. *Gratia*; Navar., § *In Leviti*, notab. 31, n. 25, et in Summa, c. 27, n. 153, et cons. 2, de Officio delegat., et cons. 4 de Privileg., num. 1; Gutier., libro 4 de Canon. quæstion., cap. 15, n. 24, et lib. 2, cap. 17, a principio. At privilegium est quædam gratia; ergo eadem regula in privilegio verum habet quod non cessat per mortem concedentis. Ratio vero regulæ, etiam prout de gratia generaliter datur, esse potest, vel quia jus ipsum ita declaravit hujusmodi concessionem in favorem factas, sub quibus privilegia continentur; vel certe quia talis declaratio juris supponit hanc esse intrinsecam rationem gratiæ, vel certe esse maxime consentaneam illi: nam gratiæ concessio est quædam moralis largitio, vel donatio; donatio autem semel facta non finitur morte concedentis.

2. *Multiplex explicatio prædictæ regulæ.* — *Primum dubium.* — *Regula prædicta generaliter vera est.* — Hæc ergo regula multis modis explicanda est, et quando ampliatur vel limitatur. Primo ergo videri potest regulam positam, ejus ratione attendita, solum procedere in privilegio omnino favorabili, nam illud est propria gratia, non vero in privilegio odioso; nam illud, licet sit favor respectu ejus cui conceditur, odium continet respectu aliorum, et ita non est pura gratia, sed mixta, ideoque non debet sequi regulam gratiarum. Atque ita videntur sensisse Glossa in cap. pen. de Cleric. non resident., verb. *Licentia*, et Antonin. ibi, n. 7; Sylvest., verb. *Indulgentia*, q. 5, n. 26;

Angel., n. 7, qui specialiter loquuntur de licentia non residendi, quia est odiosa propter Ecclesiæ præjudicium. Quæ ratio si solida esset, idem consequenter dicendum esset in omni privilegio odioso. Nihilominus tamen verius est regulam positam generaliter habere verum in omni privilegio, etiamsi deroget juri communi, vel alicujus tertii. Ratio est, quia jura citata absolute loquuntur de gratia, et non distinguunt inter eam quæ alteri præjudicat, vel non præjudicat; ergo neque nos distinguere debemus sine textu vel ratione cogente. At privilegium, etiam rigorose sumptum pro illo quod derogat juri, est vera gratia, absolute et simpliciter loquendo, imo tanto est major gratia respectu ejus cui fit, quanto, non obstante lege vel jure alterius, ei conceditur: unde nulla ratio permittit ut propter eam causam sit gratia minus stabilis seu perpetua. Præterea ratio facta, quod concessio privilegii est quædam liberalis donatio, de quocumque privilegio procedit: nam licet deroget juri alterius, de hoc ipso fit perfecta donatio. Et jus stabile contra jus alterius conceditur, ut patet clare in privilegio non solvendi decimas: nam de se præjudicium affert, et tamen durat post mortem concedentis, non solum quando in eo explicatur ut sit perpetuum, sed etiam quoties non explicatur ut sit temporale, sed indefinite conceditur, juxta principia supra posita. Et idem est de privilegio recipiendi aliquam partem decimarum, vel non subeundi onera communia, et similibus.

3. *Probatur dicta ampliatio inductione.* — Unde ostendi potest ampliatio hæc inductione, et exemplis, quæ vel clara sunt vel probabilia. Et imprimis faciunt proxime posita. Deinde dispensatio censetur odiosa; tamen quia respectu dispensati est gratia, semel concessa permanet, nec cessat per mortem concedentis. Quod si dicas ideo id contingere in dispensatione, quia jam habuit effectum, id non est verum: nam si superior dispensavit in jejuniis quadragesimæ, licet dispensans statim moriatur, potest dispensatus sua dispensatione uti ad effectum nondum secutos, si alias causa subsistat; et idem est in dispensatione matrimonii, si per Papam fuit commissa Episcopo, vel officiali ejus, et iste jam dispensavit: nam licet Papa moriatur ante effectum talis dispensationis, id est, ante matrimonium contractum, valida manet, et potest consequi effectum. Quin potius licet commissarius nondum dispensasset, si facultas illi esset commissa

et obligatione et præcepto dispensandi, si preces veritate nitantur, non cessavit dispensatio, ut in simili dixi, tom. 5, d. 41, sect. 2, in fine; et latius explicat, et multis allegatis confirmat Sanci., lib. 8 de Matr., disp. 28, n. 9, licet Navar. in locis citatis contradicat, ejus sententia posset procedere, quando princeps moreretur, nondum litteris expeditis, ut vult Molin. supra, quod nunc non examino; et videri potest Gutier., d. c. 17. Deinde licentia audiendi confessiones, et facultas eligendi confessorem, non expirant morte concedentis, licet illa contineant privilegia præter jus commune, et quæ possunt derogare juri ordinarii vel successoris, ut etiam dixi tom. 4, disp. 26, sect. 3, et disp. 27, sect. 4, et plures ad idem allegat Sanci., supra, num. 72 et 73. Et idem docent de licentia non residendi, Abb., dicto cap. penultim. de Cleric. non resid., num. 9; et Navarr., quæst. 3 de Redit., monit. 9 et in cap. *Placuit*, de Pœnit., dist. 6, num. 166; et Salzed. in pract.; Bernard. Diaz, cap. 26, et Sanci., n. 78. Neque reddunt aliam rationem, nisi quia illa licentia est gratia, cum tamen negare non possint quin aliqua ex parte odiosa sit, et contra ordinarium jus; hoc ergo nihil interesse censetur ad limitandam conclusionem positam.

4. *Aliud dubium circa regulam traditam.* — Secundo, interrogari potest an regula intelligenda sit absolute de privilegio, etiamsi res sit integra, id est, etiamsi privilegiarius nondum inceperit illo uti, vel limitanda sit ad privilegium jam firmatum per aliquem illius usum, post quem dicitur res non esse integra. Felin. enim, in c. *Licet undique*, de Offic. deleg., num. 4, verb. *Primo casu*, ita limitare videtur dictam regulam, privilegium non expirare morte concedentis, si ceptum sit illa uti; et ex parte sequi videtur Sylv., verb. *Gratia*, quæst. 2, ubi ait quod potestas ad dispensandum alicui concessa per viam gratiæ, per unum actum dispensandi perpetuatur, ut non expiret per mortem concedentis, sentiens re integra non esse firmatam gratiam; et citat Joan. Andr. et Anton., in c. *Ex tua*, de Fil. presb. Moti autem videntur hi auctores ex d. c. *Licet*, et ex c. *Gratum*, c. *Relatum*, eod. tit., ubi hoc dicitur de commissione potestatis delegatæ, quæ commissio gratia quædam est et favor, et ideo videtur illa decisio extendi ad quamcumque aliam gratiam, vel privilegium. Præsertim quia videtur militare eadem ratio; ideo enim rescriptum per quod delegatur potestas, extinguitur morte conce-

dentis, re integra, quia nondum est firmata et quasi radicata jurisdictio, ut dicitur in c. *Quamvis*, de Offic. deleg., in 6; sed eodem modo jus quodlibet per privilegium concessum, non videtur firmatum et radicum, re integra, quia nondum est tradita privilegiario possessio talis privilegii, quia non videtur nisi per aliquem usum comparari.

5. *Prædicta limitatio rejicitur.* — Nihilominus regula hæc non recipit talem limitationem, sed absolute intelligenda est de privilegio plene concessio et comparato, etiamsi nullus usus ejus fuerit inchoatus. Ita sentiunt omnes alii citati auctores. Probatur autem hæc sententia sufficienter ex eo quod, in dictis iuribus quæ loquuntur de gratia, talis limitatio non additur; cur ergo a nobis addenda est, maxime cum gratiæ sint potius ampliandæ quam restringendæ? Secundo, probatur ab speciali ex eisdem iuribus quæ in contrarium allegantur. Nam illa conditio, ut res non sit integra, solum postulatur in rescriptis justitiæ, per quæ delegatur jurisdictio, ut ex ipsis capitibus constat; ergo extra illum casum non habet in gratiis locum illa conditio. Imo multi valde probabiliter censent illam conditionem solum requiri in delegatione jurisdictionis contentiosæ et involuntariæ; nam de hac plane loquuntur dicta jura, quæ in hac parte non sunt extendenda, quia non continent favorem, sed potius sunt stricti juris. Unde sequitur, contra Sylvest. et alios, privilegium per quod datur potestas absolvendi a culpis reservatis et a censuris, vel dispensandi in aliquibus irregularitatibus, vel impedimentis, in favorem ejus cui tale privilegium datur, non expirare morte concedentis, etiamsi res sit integra, quia est mera gratia plene facta, et non est delegatio jurisdictionis fori contentiosi. Hac enim ratione, ut supra dicebam, per mortem concedentis non cessat licentia facta sacerdoti ad audiendas confessiones, licet per illam delegetur jurisdictio in foro poenitentia; ergo idem dicendum erit etiamsi ille sacerdos nunquam fuerit illa usus. Idemque est, cum proportionem, de licentia eligendi confessorem. Et ita tenent auctores in præcedenti puncto citati, et plures quos Sanci. refert, n. 8; et idem Sylvester, ibidem, fatetur cum Federic., cons. 78, quando Papa concedit alicui ut dispenset cum tali, non amitti gratiam per mortem concedentis, etiamsi antea non dispensaverit, quod difficilius est, ut patebit ex puncto sequenti. Ra-



tio denique a priori est, quia illa conditio non est necessaria ex natura rei, quia potest fieri perfecta donatio et traditio, antequam donatarius incipiat uti re donata; sic ergo privilegium dari potest, priusquam privilegiarius illo uti incipiat; ergo ita intelligendum est dari cum absolute conceditur, cum nec jus nec homo limitationem ponant. Et ita, ex praxi et consuetudine, videtur constare privilegium censi sufficienter radicatum et possessum ante usum, præsertim si rescriptum sit bullatum et traditum. Et ita responsum est ad rationem in contrarium: nam quod jurisdictio contentiosa non firmetur, re integra, non est ex natura rei, sed ex institutione juris positivi, et est speciale in illa, et ideo non extenditur ad alias gratias. An vero in his requiratur saltem, ut privilegium sit acceptatum a privilegiario, dicam statim.

6. *Tertium dubium circa prædictam regulam.* — Tertio, inquiri potest an regula intelligenda sit tantum de privilegio alicui concessio in favorem suum, vel etiam si detur in favorem alterius, utroque enim modo concedi potest; sæpe enim conceditur potestas dispensandi in favorem delegati, aliquando vero in favorem ejus qui dispensandus est, ut in rescriptis, per quæ committitur provido confessori, aut doctori, etc., ut dispenset cum aliquo in tali voto. Videtur ergo assertio indifferenter intelligenda, quia privilegium utrovis modo datum, est vere gratia: nam est concessio potestatis et jurisdictionis non contentiosæ, vel alterius similis favoris; ergo regula etiam de firmitate gratiæ est de illis indifferenter accipienda. In contrarium vero est dictum c. *Si cui nulla*, ubi dicitur mandatum a Pontifice datum alicui Prælati, providendi aliquem de beneficio in gratiam provisi, expirare morte concedentis: unde colligitur idem dicendum esse in omnibus similibus gratiis, ut allegati doctores fatentur.

7. *Adhuc defenditur prædicta regula in sensu generali.* — *Duplex modus concedendi privilegium.* — Hæc dubitatio ponitur ad explicanda verba in principio assertionis posita. Locuti enim sumus de privilegio, semel rite et perfecte comparato, et intellecta regula hoc modo nullam habet exceptionem vel limitationem ex parte privilegii semel obtenti, sive detur in favorem accipientis, sive aliorum. Secus vero est si fuerit tantum inchoatum, ita ut adhuc non sit obtentum, sed obtinendum. Prior pars probatur ratione facta,

et declaratur amplius, quia imprimis nullum est privilegium (si verum privilegium sit) quod non sit gratia et favor accipientis, etiamsi fortasse detur in aliorum utilitatem et fructum: gratiæ enim gratis datæ vere gratiæ sunt et favores accipientium, licet in aliorum utilitatem dentur. Sic ergo facultas concionandi, absolvendi, aut dispensandi, directe facta ei cui conceditur, favor est ejus, licet ratio vel causa dandi illam, et principale forte motivum, sit aliorum utilitas. Solet autem in hoc communiter observari privilegia aliis utilia præter recipientem, dupliciter concedi solere: uno modo, respectu aliorum in communi, et generatim; alio modo, respectu talis personæ, pro tali casu, vel casibus. Priori modo, censetur gratia simpliciter facta ei cui talis potestas conceditur; posteriori autem modo censetur gratia fieri potius personæ designatæ, ut ei dispensatio ad beneficium conferatur. Unde fit ut privilegium directe concessum alicui, ut per illud aliis indefinite seu in communi benefacere possit, ut sic dicam, vel jus aliquod exercere extra jurisdictionem contentiosam, non expiret morte concedentis propter rationem factam. Et in hoc conveniunt Gloss. et interpretes in dict. cap. *Si cui nulla*, per illum textum; et alii quos Anton. Gabr. supra refert.

8. *Quomodo privilegium expiret morte concedentis.* — *Limitatio dictæ assertionis.* — At vero quando potestas per privilegium conceditur ad exercendum aliquem actum favorabilem circa determinatam personam, regulariter censetur expirare, re integra, per mortem concedentis, etiamsi actus exercendus non sit jurisdictionis contentiosæ, et videtur colligi ex dicto c. *Si cui nulla*, ubi Glossa rationem reddit, quia tunc gratia non est perfecte facta, sed facienda. Quia tunc non fit proprie gratia illi qui talem actum effecturus est, sed illi in cujus commodum actus est efficiendus: nam tota gratia ordinatur ad illum actum, ideoque dum ille non est factus, non censetur gratia facta, sed facienda, et consequenter commissio potestatis ad illum actum faciendum non est firmata, re integra. Exemplum est in casu dicti textus, si Episcopo committat Papa ut det beneficium, quod vacaverit, Petro, gratia censetur concessa Petro, et antequam beneficium conferatur, censetur facienda, non facta, et ideo expirat in eo statu existens per mortem concedentis. Hoc tamen limitandum est, nisi po-

testas illa, etiam circa determinatam personam, detur in favorem delegati qui daturus est vel facturus beneficium; nam tunc censetur gratia jam facta, et non est dubium quin potestas ad operandum circa determinatam personam possit committi alicui in favorem ejus, non minus quam potestas operandi circa plures indefinite. In quo sensu videtur locutus Sylv. supra citatus, cum Feder.; et idem tenent Rosel. et Tabien., verb. *Gratia*; et Angel., ibi n. 2, verb. *Dispensatio*, n. 13; Domin. et Fran., in d. c. *Si cui nulla*, et colligitur ex illo textu; nam ut hæc facultas expiret, requiritur ut detur non ob suam, id est, accipientis, sed in ejus cui provideri mandatur gratiam. Imo inde recte colligitur necessarium esse ut gratia non fiat delegato, sed soli alteri; atque adeo, si in utriusque favorem fiat, non extingui per mortem concedentis, quia in eo cui facta est permanet, et quia ex illo textu amplius non colligitur, ut cum aliis notavit Sanc., supra, n. 81; et intelligendum puto quando gratia conceditur utrique æque primo et principaliter; nam alioqui si favor delegati sit tantum accessorium quid, et quasi causa tantum motiva, tunc sequetur principale, et simpliciter censebitur talis gratia nondum facta.

9. *Objeetio.* — Dices: nulla est ergo differentia inter potestatem datam indefinite, vel circa determinatam personam concessam; nam indefinite data potest principaliter, vel etiam totaliter dari in favorem communitatis vel multitudinis comprehensæ sub illo termino communi indefinite sumpto, nihil enim repugnat. Imo per bullas jubileorum videtur ita dari; per illas enim non intenditur favor sacerdotum vel confessorum quibus dantur potestates, si a poenitentibus eligantur, sed gratia et favor poenitentium. E contrario vero similes potestates dantur per privilegia religionum in favorem ipsorum religiosorum. At vero eodem modo quando designatur persona dispensanda vel promovenda, potest dari eisdem modis, scilicet, vel in favorem delegati tantum, vel providendi tantum, vel utriusque simul; ergo, eadem ratione, cessabit vel non cessabit potestas per mortem concedentis, si fuerit vel non fuerit data in favorem delegati, sive sit indefinita, sive particularis, et ita impertinens erit observatio supra posita, et nulla erit distinctio.

10. *Respondetur.* — Respondeo, ex dicto c. *Si cui nulla*, hanc colligi differentiam inter

illa duo membra, quia cum datur facultas ad benefaciendum aliis, nulla personarum facta expressione, gratia censetur facta communitati simpliciter, et sine addito vel restrictione, et ideo simili modo censetur permanere post mortem concedentis, etiam re integra, et nulla limitatione vel distinctione adhibita, an detur in gratiam accipientis vel aliorum, sed absolute; at vero quando persona particularis exprimitur, circa quam facultas habitura est effectum, tunc dicitur expirare per mortem concedentis, re integra, non absolute, sed cum illo addito, si datur potestas alicui, non ob suam, sed in ejus, cui provideri mandatur, gratiam. Ratio autem reddi potest, vel quia talis facultas semper est magnus favor delegati, qui non excluditur saltem præsumptione juris, etiamsi simul favor aliorum generaliter seu indefinite intendatur; vel quia favor communitatis seu multitudinis præfertur favori privato, et ideo licet non sit ad effectum perductus, propter ipsam concessionem, censetur firmari ex virtuali declaratione et concessionem juris. Atque ita similes facultates concessæ per Bullam Cruciatæ, juxta communem et receptam doctrinam, quam late refert Sanc., supra, n. 93, non expirant per mortem concedentis. In qua bulla alicui considerant quod ipsamet præscribit tempus suæ durationis, scilicet, annum, vel triennium. Sed licet hæc posset esse ratio sufficiens, ut sumitur ex Anton. Gabr., supra, n. 35, non credo esse rationem adæquatam; nam idem censent omnes de duratione jubileorum, licet non præscribant tempus suæ durationis. Ratio sumenda est ex ipso modo concessionis indefinite, quæ eo ipso censetur continere privilegium permanens, quamvis aliæ rationes probabiles reddantur, quæ in Sancio supra videri possunt. At vero quando facultas datur in ordine ad designatam personam, considerat in cujus favorem datur, ut declaratum est, quia jus videtur præsumere concessionem sic factam ordinarie fieri in favorem designatæ personæ nisi aliud expresse declaratur. In hoc ergo potest consistere differentia.

11. *Difficultas circa dicta.* — Sed adhuc superest difficultas circa rationem supra datam, ob quam concessio facta in favorem personæ designatæ providendæ, seu dispensandæ, censeatur amitti morte concedentis; ratio enim data non videtur solida, scilicet, quia tunc gratia non est facta, sed facienda; nam aliqua gratia est ibi simpliciter facta; ergo illa perire non debet, juxta regulam datam,